

APPENDIX I.

ACTA ET CONCILIA PONTIFICUM ROMANORUM.

398. INNOCENTII III. DECRETALIS DE IURE PONTIFICIS IN ELECTIONE REGIS.

(1202. Mart.)

Insignem decretalem epistolam dictam 'Venerabilem', quae transiit in Decretales Gregorii IX. Lib. I. tit. 6 de elect. c. 34, contulit vir d. Tangl cum Registri Innocentii III. tom. VI, fol. 18' ep. 61 (ep. 62 in editis Registri de negotio imperii), ubi inscribitur: Nobili viro duci Zaringie. — Potthast, Reg. pont. Rom. 1653. Böhmer, Reg. imp. V, 5783. (P. decst.)

Nobili viro duci Zaringie.

(1) Venerabilem fratrem nostrum . . Salzburgensem archiepiscopum et dilectum filium . . abbatem de Salem et nobilem virum . . marchionem Orientalem, quorumdam principum nuntios ad sedem apostolicam destinatos benigne recepimus et eis benivolam duximus audientiam indulgandam. Litteras quoque, quas per eos quidam nobis principes destinarunt, diligenter perlegi fecimus et que continebantur in eis notavimus universa. (2) Inter cetera vero, que dicti principes per easdem nobis litteras intimarunt, hac precipue obiectione sunt usi dicentes, quod venerabilis frater noster Prenestinus episcopus, apostolice sedis legatus, aut electoris gessit aut cognitoris personam; si electoris, in alienam messem miserat falcem suam et electioni se ingerens principum derogaverat dignitati; si cognitoris, absente altera partium videtur perperam processisse, cum citata non fuerit et ideo non debuerit contumax iudicari. (3) Verum nos, qui secundum apostolice servitutis officium sumus singulis in iustitia debitores, sicut iustitiam nostram ab aliis nolumus usurpari, sic ius principum nobis nolumus vendicare. Unde illis principibus ius et potestatem eligendi regem in imperatorem postmodum promovendum recognoscimus, ut debemus, ad quos de iure ac antiqua consuetudine noscitur pertinere; presertim cum ad eos ius et potestas huiusmodi ab apostolica sede pervenerit, que Romanum imperium in persona magnifici Karoli a Greco transtulit in Germanos. (4) Sed et principes recognoscere debent et utique recognoscunt, quod ius et auctoritas examinandi personam electam in regem et promovendam ad imperium

ad nos spectat, qui eam inungimus, consecramus et coronamus. Est enim regulariter ac generaliter observatum, ut ad eum examinatio persone pertineat, ad quem impositio manus spectat. Numquid enim si principes non solum in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcumque vel excommunicatum in regem, tirampnum vel fatuum, hereticum eligerent aut paganum, nos inungere, consecrare ac coronare hominem huiusmodi deberemus? Absit omnino! 5

(5) Obiectioni ergo principum respondentes asserimus, quod legatus noster episcopus Prenestinus nec electoris gessit personam, iuxta quod nobis per litteras suas quidam principum opponebant, utpote qui nec fecit aliquem eligi nec elegit et sic electioni se nequaquam ingessit; nec cognitoris personam exhibuit, cum neutrius electionem quoad factum eligentium confirmandam duxerit aut etiam infirmandam, et sic ius sibi principum nullatenus usurparit aut venerit contra illud. Exercuit autem denuntiaturis officium, quia personam ducis eiusdem denuntiavit indignam et personam regis ipsius denuntiavit idoneam quoad imperium obtinendum, non tam propter studia eligentium, quam propter merita electorum; quamvis plures ex illis, qui eligendi regem in imperatorem promovendum de iure ac consuetudine obtinent potestatem, consensisse perhibeantur in ipsum regem Ottomem, et ex eo quod fautores Ph(ilippi), absentibus aliis et contemptis, ipsum eligere presumpserunt, pateat eos perperam processisse: cum explorati sit iuris, quod electioni plus contemptus unius quam contradictio multorum obsistat. Unde quia privilegium meruerunt amittere, qui permissa sibi abusi sunt 20 potestate, videri non immerito potest, quod iniuria huiusmodi non obstante ceteri uti potuerint iure suo. (6) Et quoniam dux predictus nec ubi debuit nec a quo debuit coronam et unctionem accepit, memoratus vero rex et ubi debuit, videlicet Aquisgrani, et a quo debuit, scilicet a venerabili fratre nostro Coloniensi archiepiscopo recepit utrumque, nos utique non Ph(ilippum), sed Ot(tonem) reputamus et nominamus regem 25 iustitia exigente. In reprobatione vero prefati Ph(ilippi) ducis Suevie propter manifesta impedimenta persone non accusatione sed condempnatione potius fuit opus, quia non accusatione sed condempnatione indigent manifesta. Quod autem, cum in electione vota principum dividuntur, post ammonitionem et exspectationem alteri partium favere possimus, maxime postquam a nobis unctionio, consecratio et coronatio postulantur, sicut 30 utraque pars a nobis multotiens postulavit, ex iure patet pariter et exemplo. Numquid enim, si principes ammoniti et exspectati vel non poterint vel noluerint convenire, apostolica sedes advocato et defensore carebit eorumque culpa ipsi redundabit in penam? Sciunt autem principes et tua nobilitas non ignorat, quod cum Lot(harius) et Corradus in discordia fuissent electi, Romanus pontifex Lot(harium) coronavit et 35 imperium obtinuit coronatus, eodem Corrado tunc demum ad eius gratiam redeunte. (7) Nos ergo per nuntios principum memoratos eos duximus commonendos, ut sicut nos a iuris ipsorum cessamus iniuria, sic ipsi contra ius nostrum se nequaquam injuriosos ostendant, sed a prefato duce iusto quidem a nobis iudicio reprobato recedant et prefato regi Ot(toni) non abnuant adherere, nisi tunc demum contra personam vel 40 factum legitimum quid^a ab eis obiectum fuerit et ostensum. (8) Sunt enim notoria impedimenta ducis Suevie, scilicet excommunicatio publica, periurium manifestum et persecutio divulgata, quam progenitores eius et ipse presumpserunt in apostolicam sedem et alias ecclesias exercere. Fuit enim a bone memorie C(elestino) papa predecessore nostro propter invasionem et devastationem patrimonii beati Petri commonitione sepe premissa publice ac sollempniter excommunicationis vinculo innodatus, cum in Tuscia moraretur; quod ipse postmodum recognovit, dum per nuntium suum ab ipso predecessore nostro absolutionis beneficium postulavit et postmodum a... tunc Sutrino episcopo, quem cum abbe Sancti Anastasii pro liberatione venerabilis fratris nostri 45

Salernitani archiepiscopi nos in Teutoniam miseramus, contra formam mandati nostri de facto solummodo, quia de iure non potuit, post suam electionem apud Warmaciam occulte se fecit absolvit. Unde patet, quod fuerit excommunicatus electus 'etc.¹' ut supra in eundem modum quo scriptum est principibus Alamannie usque' sua temeritate venire. Utrum vero dictum iuramentum licitum fuerit an illicitum et ideo servandum an non servandum exstiterit, nemo sane mentis ignorat ad nostrum iudicium pertinere. (9) Quod autem Ph(ilippus) de genere persecutorum existat, principes non credimus dubitare, cum Henricus 'etc.²' in eundem fere modum ut superius dictum est usque' vivos in mare submergi, ad tuam et aliorum principum credimus audientiam pervenisse. (10) Insuper si supradictus dux, quod absit, imperium obtineret, libertas principum in electione periret et imperii obtinendi de cetero ceteris fiducia tolleretur. Nam si, prout olim Fredericus Corrado et Henricus postmodum Frederico, sic nunc vel Fredericus Ph(ilippo) vel Ph(ilippus) Henrico succederet, videretur imperium non ex electione sed ex successione deberi. Preterea cum multi principum ex imperio eque sint nobiles et potentes, in eorum preiudicium redundaret, si non nisi de domo ducum Suevie videretur aliquis ad imperium assumendus. (11) Cum ergo nos flecti a nostro proposito nulla penitus occasione possimus, sed in eo potius firmissime persistamus, et tu nobis sepe per litteras tuas duxeris suggerendum, ut eidem duci nullatenus faveremus, nobilitatem tuam monemus et exhortamur in Domino et per apostolica scripta mandamus, quatenus, sicut de gratia nostra confidis et nos de tua devotione speramus, de cetero a prefato duce Ph(ilippo) recedas omnino, non obstante iuramento, si quod ei ratione regni fecisti, cum eo quantum ad obtinendum imperium reprobato iuramentum huiusmodi non debeat observari. Predicto vero regi Ottoni, quem nos concedente Domino ad coronam imperii disponimus evocare, patenter adhreas et potenter, ut cum ei ad commonitionem nostram adheseris, inter primos gratiam et benivolentiam eius obtinere precipue merearis; ad quod nos pro tue nobilitatis amore dabimus operam efficacem.

Datum Laterani.

399–401. INNOCENTII IV. CONCILIO LUGDUNENSE.

1245. Iul.

Quamvis summaria tabularii Vaticani Parisina bullam pontificis, per quam a. 1245. Apr. 18 imperatorem ad concilium citaverit, allegent³, talem bullam nunquam exstitisse, imperatorem potius per solum sermonem, quem Innocentius IV. a. 1244. Dec. 27 habuit, citatum esse, comprobaverunt Rodenberg 'Epistolae saec. XIII.' II, 57 not. 1, Winkelmann 'Regesta imperii' V, 7528c, Kehr 'Historische Zeitschrift' LXXIV, 98. Vir cl. Kehr certe recte iudicavit, summarium istud Parisinum spectare ad epistolam Innocentii a. 1248. Apr. 18 datam, quam nuper denuo edidit Rodenberg l. c. II, nr. 541 (Böhmer, Reg. imp. V, 7986), cuius exemplar autographum iam nunc exstat in tabulario Vaticano⁴. E decretis concilii cum nihil ad nostrum inceptum spectet, tria tantum monumenta proposituri sumus.

1) *Quae hoc loco indicantur, ea require in ep. 33 Registri de negotio imperii.* 2) *V. ibidem.*

3) *V. 'Archiv' VII, 30: 1245. Apr. 18. Innocentius IV. Fridericum II. ad comparendum Lugduni citat, anno 4^o (2^o). Potthast 'Reg. pont. Rom.' 11630 nil nisi hanc notitiam praebet.* 4) *V. 'Neues Archiv' XIV, 356 nr. 24 et supra p. 376 not. 1.*